



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

XXVII. De paganorum conuiuiis auferendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

de hac re eis placeat, nos informare dignentur. ANNO
CHRISTII
444
Tantum de his qui infantes baptizati sunt, satagi-
mus, ut nostræ, si placet, in iisdem ordinandis con-
sentiant voluntati. Omnia ergo quæ superius com-
prehendimus, apud sanctos episcopos agenda esse,
mecum honorabilis fraternitas vestra perpendit.

XXV.

Cod. Can.
cap. 58.

Instant etiam aliæ necessitates a religiosis impe-
ratoribus postulandæ, ut reliquias idolorum per
omnem Africam iubeant penitus amputari: nam
plerisque in locis maritimis, atque possessionibus
diuersis adhuc erroris istius iniquitas viget: ut præ-
cipiant & ipsa deleri, & templa eorum, quæ in agris
vel in locis abditis constituta nullo ornamento
sunt, iubeantur omnimodo destrui.

XXVI.

2. quest. 6.
Statutum
est, ut qui.
Cod. Can.
cap. 59.

Petendum etiam, ut statuere dignentur, ut si qui
forte in ecclesia quamlibet causam iure apostolico
ecclesiis imposito agere voluerint, & fortasse decisio
clericorum vni parti displicuerit; non liceat cleri-
cum in iudicium ad testimonium deuocari eum, qui
cognitor vel præsens fuerit. Et nulla ad testimoniū
dicendum ecclesiastici cuiuslibet persona pulsetur.

XXVII.

Cod. Can.
cap. 60.

Illud etiam petendum, ut quæ contra præcepta
diuina conuiuia multis in locis exercentur, quæ ab
errore gentili attracta sunt, (ita ut nunc a paganis
Christiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re
temporibus Christianorum imperatorum persecu-
tio altera fieri occulte videatur) vetari talia iubeant,
& de ciuitatibus & de possessionibus, imposita pœ-

ANNO
CHRISTI
424

na, prohiberi: maxime, cum etiam in natalibus beatissimorum martyrum per nonnullas ciuitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam (quod pudoris est dicere) saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exercent, vt matronalis honor, & innumera bilium feminarum pudor, deuote venientium ad sacratissimum diem, iniuriis lasciuiantibus appetatur, vt etiam ipsius sanctæ religionis pene fugiatur accessus.

XXVIII.

Nec non & illud petendum, vt spectacula theatrorum ceterorumque ludorum, die dominica vel ceteris religionis Christianæ diebus celeberrimis amoueantur, maxime quia sancti Paschæ octauarum die populi ad circum magis quam ad ecclesiam conueniunt: * & debere transferri deuotionis eorum dies, si quando occurrerint: nec oportere etiam quemquam Christianorum cogi ad hæc spectacula; maxime, quia in his exercendis, quæ contra præcepta Dei sunt, nulla persecutionis necessitas a quoquam adhibenda est: sed (vti oportet) homo in libera voluntate subsistat sibi diuinitus concessa. cooperatorum enim maxime periculum considerandum est, qui contra præcepta Dei magno terrore coguntur ad spectacula conuenire.

Cod. Can.
cap. 61.

* for. &
licet (sen
ius ac fas
fit) trans-
fecti.

XXIX.

Et illud petendum, vt statuere dignentur, vt si quis cuiuslibet honoris clericus iudicio episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, siue ab ecclesiis, quibus præfuit, siue a quo-

Cod. Can.
cap. 61.

Concil. Tom. 4.

Xxx ij